



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 193. Invenerunt hominem Cyrenaum nomine Simonem. v. 32.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

O Iesu fili Abraham, quæ progredieris? voluntatem æterni patris perfectum, ignem charitatis tecum ferens & gladium crucis, quo ferri desideras, & in sacrificio Novæ Legis contumari. O ignis indeficiens! o inextinguibilis ardor amoris! qui semper ardes nec unquam extingueris; totum me accendes, totum me exure, ut totus in me deficiam, totus à me exeam, totus per tuum transformem amorem, totum me liquefacito, ut totum me in te amittam, absolve me Deus meus totum in ardore ferventissimi amoris tui, ut mei ipsius & omnium quæ in mundo sunt, perfecte oblitus te summum ac excellentissimum bonum amoris amplectar, & exeundo à me te summum meum bonum inveniam.

§. 193. *Invenerunt hominem Cyrenæum nomine Simonem. v. 32.*

Invenerunt hominem, figuram eius, quem pius Iesus tanto cum desiderio quæsit, & labore portat, optans ut se sequi vellet, cum ipso portare crucem suam, Deum agnoscere & non, sicut Iudæi, spernere blasphemare, negare male tractare, & iugulare. Ad huius hominis à Christo Domino quæsitum typum accommodatissimus erat Simon Cyrenæus licet Ethnicus, qui conversus rationabiliter secutus est Dominum, cum filiis suis Alexandro & Rufo, qui & celebres in Ecclesia Dei fuisse colliguntur, quam illis fidem æque ac tibi meruit ex gestatione crucis, unus enim postmodum Martyr factus est, alter Episcopus in Hispania Tortosæ, pater vero ipsemet socius factus S. Pauli & Barnabæ in prædicatione Evangelii, ergo illum hominem invenerunt, quem tanto cum labore & desiderio quæsit Iesus ut salvus faceret, quoniam Iudæi, quos primo quæsit, uti populum electum eum recusarunt, turpiter tractarunt, negarunt, occiderunt. Felix es o Simon, felix es, quem sic quæsit Iesus & inventus es ab eo, ut cum Christo portares crucem.

O Christe Iesu, quis mihi dabit hanc gratiam, ut inveniar à te & sequar te, baiulans tecum crucem tuam, ut salvet miser ego peccator. En Ethnicus sequitur te, Ethnicus baiulat tecum crucem, quid faciam Christianus? renuam? absit. non audiam vocantem? longe id sit à me. Ergo age anima mea iam & hodie & semper Dominum sequemur in patientia, portabo crucem à Domino mihi impositam, *in qua est salus vita & resurrectio mea abscondita*, hac gloriabor, ut habitet in me virtus eius.

§. 194. *Hunc angariaverunt ut tolleret crucem eius. v. 32.*

Timentes Iudæi, ne forte deficeret in via pius Iesus & sub crucis pondere opprimeretur, & animam daret, antequam veniret ad locum ignominie, &